

36

11/41

FACVLTATIS MEDICAE

I N

ACADEMIA WITTENBERGENSI

H. T. DECANVS

GEORGIVS AVGVSTVS
LANGGVTH D

PATHOLOG. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORDIN

ET ORDIN. S. SENIOR

PANEGLYRIN MEDICAM

AD DIEM III. APRILIS CIOCCCLXXVI

H A B E N D A M

I N D I C I T

DE PLICA XIV PEDVM RARISSIMA MVSEO ACAD

NVPER ILLATA

Q V A E D A M P R A E F A T V S

37



licam, nobilissimae gentis Polonicae, cuius magna semper apud omnes erit gloria, cognomine haud libenter distinguo. Tarareae enim est originis, suoque ex natali solo pederentim in viciniam, hinc in alias longius, longissimeque distitas regiones, in Tatariam minorem, Podoliā, Veraniā, Russiam, Lituaniā, Poloniā, Silesiā, Hungariā, transiit; immo Brisgois quoque, Alsatis, Suevi, Belgisque innotuit; inque nonnullis Rheni tractibus frequens obseruata fuit. Nulla igitur iusta causa est, quare non potius ex patria sua, Tararea, nominanda sit. Nec illa sufficit, quod, ex relatione STARNIGELII ^{a)}, ex vicinia in Poloniā aliquando irrepserit, et epidemice grassari visa fuerit. Etenim epidemiae iisdem locis perpetuae non adhaerent, nostraque nunc aetate ipsa Plica in Polonia rarior obseruatur; sic ut illam, antiquato nomine ab exteris adhuc vocari, aegrius in Polonia feratur. Caussae etiam communes sunt, saltem non omnes abditae et occultae, de contagione suspectae, quibus huius afflictionis originem ac fomitem probabiliter tribuas. Veritati, atque ipsi adeo experientiae, omnino consentaneum videtur, eam quam plurimum ex squalido et inquinatissimo viuendi genere, neglectoque cultu et pectinis officio, oriri; praesertim, quum alii in diaeta errores concurrant, et vitiatis corpora humoribus abundant. Qua in re, praeter beatum affinem, PLATNERVM, de morbis ex imunditiis mundissime differentem, aliosque bene multos, recensissime

^{a)} vide sis SENNERTVM nostrum, *Opp. Med. Praef.* V. p. 23.

^{b)} VANDERMONDE *Journal de Medec.* Tom. XV. p. 330. cf. *Commentit. Medicit. Lipsiens.* Vol. XII.

tissime consentientem laudare possumus Cl. LANDEVTT^{b)}, qui caussam eius praecipuam in obstrukione pororum, ab immunitate oriunda, quaerit ponitque. Cui in societatem dare possumus, BOISSIER DE SAVVAGES^{c)}, Nosologia sua celebrimum, in principiis huius morbi abusum aquae vitae, alimentaria et viscosa, et incredibilem populorum, hoc morbo infectorum, sorditatem, experientia suffragante, numerantem. Id quod Iudei maxime, Lituaniā magno numero habitantes, suis ab unde exemplis confirmant; otio nempe torpentes, putredinem contrahentes, et mali nntrimenti cibo se sustentantes, hinc plicis onerati, ad zonam pendulis, oblongos funes forma saepe experimentibus. Aqua sententia, in Transactionibus Anglicanis Nro. VIII. reperita, non alienus b. VATERVS^{d)} noster est, Plicam effectum esse, constituens, sordidae viuendi rationis, dum nec capillos comant, nec aqua caput abluant. Neque etiam caussa haec, tanquam omni probabilitate destituta, properea statim relinquenda est, quia non nulli rationem se videre negant, quo modo crines, ex negligentia peſtendi, in cirros conuoluti, hominem tam saeuis maſtare doloribus, horrendis conuulsionibus torquere, membra suis in functionibus impedire, queant. Aliis forsitan tam felicibus esse licet, ut desideratam hanc rationem perspiciant, et nexum horum effectuum cum summa cauſa, modo intelligibili declarare queant. Quis est, qui tantum sibi tribuat acumen ingenii, ut hunc soluere syllogismum, ut, inquam, illum a MARESCOTTO^{e)} commemoratum rarissimum, et sine pari, casum, sufficienti ex ratione intelligenterque explicare se posse non desperet, Sacerdotis, nimirum, qui, dum capillis instructus erat, graui capitisi dolore laborabat, viresque adeo enormes acquirebat, somni tem-

a 2

pore

^{c)} Nosolog. meth. Tom. II. p 605.

^{d)} in Progr. de Plica Polonica rarissima, et. quam mox describemus.

^{e)} de Variolis, Bonon. 1723. p. 40.



pore, ut res ponderosissimas, quibus ferendis plures vegeti baiuli vix parer erant, nullo labore, ad remotissima loca deserret, abrasis vero capillis a cephalalgia liberabatur, viresque ex sonno ad naturalem statum reducetas persentiebat. Sed vero, propter huius loci non expediendam difficultatem, propter obtusi imbecillitatem ingenii, ipsi rei ac observationi fidem suam recusare velle, nonne idem est, ac gladio nodum soluere? Satis expeditum nobis videtur, ex diutius neglecta pectinatione, sordiumque diligentia abstersione intermissa, perspirationem capitinis necessario minui, comam inquinari et cirrosam reddi, vitiosos contra humores huc trahi, perque putredinosum hunc squalorem longe vitiosiores redditos, bibulis venis resorberi, et ad vniuersum corpus, ad nobilissima viscera, ad nerueas fibras, aponeuroses, repelli; ex manifesta igitur caussa, praedisponentes perpetuas caussas progenerari, grauissimorum morborum, dolorum, cruciatuum fomites matresque foecundissimas, non nimis festinanter contagionibus, non intelligendis mias matibus, attribuendas. Quo minus vero nos, nostrum consilium, olim datum, de exquisitissimo studio curanda capitinis munditie, deque calore eius parcus fouendo, minuendo magis quam augendo, poenitendum habeamus, eorum exempla facile efficiunt, qui variis auctisque aegritudinibus confecti, cirrisque subinde hirsuti, neglectae diaetae, spretique consilii, poenas sat graues corpore luunt, animoque vix consolabili lugent. Si verbis, quod dicitur, non opus est, ubi rerum adfunt testimonia, eiusmodi exemplum proferre possumus, atque testimonium, omni exceptione maius, in Museo nostro Academicо curiosorum oculis subiiciendum, oculatis palpandum manibus. Plicam, scilicet, illam intelligo, cuius in fronte libelli nostri iam facta a nobis est mentio, in thesauris nostris naturalibus infimo loco non habendam.

Exsuperat haec plica fere longitudinem XIV. pedum, mensurae nostrae publicae, vlnae Lipsiensium congruae, medium crastia

crassa digitum, vbi circa partem medium crassissima; pondere
 duas vncias cum semisse aequans; tenui ex radice, simplici, et
 quasi coriacea, originem sumens, eodem fere modo, non nihil
 hirta, ad tres pedes progreditur; tum non nihil crassescit, vil-
 losior fit, et laxior, sic ut pilos longissimos, tenues facile distin-
 guas hinc paullatim ad finem extreum, non nihil decrescen-
 tem, villosum tamen et pilosum pergit, caudam vaccinam, initio
 quasi nudam et detritam, circa alterum extreum hirsutam et
 crinitam, vnde colore fusco intinctam, aut forte melius funi-
 culum, ex pilis longissimis et breuioribus contorum, repraesen-
 tat. Excidēdam hanc plicam, per multos annos in extremo
 occipitio vix decem capillis adhaerentem perque ceruicem
 deinde deductam, et recto ventri circumdatam fasciolaque
 adligatam, post fata curavi, et quidem quod maxime notandum
 et nostra animaduersione hoc loco praeferunt d'gnū est, ex ve-
 tula, prope septuagenaria, militis relicta vidua, breui sed robusto
 corpore veram fuscāque viraginem, admodum vegetam et ir-
 ritabilem, referente, multis ab annis mihi met ipsi satis co-
 gnita, quae certe nec per haereditatem, nec per quam contagio-
 nem, vnam ex multis aequalibus sane non expertentem, sed per
 durum, castra sequentibus commune, viuendi gēnus, per in
 illis consuetos in viētu, omnique diaeta militari, errores, per
 continuum alimentorum crudorum, vinique sublimati vsum et
 abusum, per perpetuas contentiones, indignationes, rixasque,
 omnium vero maxime per neglectam munditiam, pectinatio-
 nem, sordiumque squalores et consuetudines, vilioris conditio-
 nis hominibus, sub vario coelo miseram vitam trahentibus, fere
 ineuitabiles, hoc spolium in patriam, Saxoniam nostram, repor-
 tauit, paupereula consenuit, vitamque marasmo finivit. En Pli-
 cam, Polonicam certe non dicendam, propter suam manifestam
 originem, habitum singularem et longitudinem, mensuram XIV.
 pedum aequantem, rarissimam et maxime memorabilem, in Mu-
 seo



Seo igitur nostro digne repositam et sollicite custodiendam. Comparari maximam partem potest, cum illa, in Porticum Regio-Electoralem Dresensem illata, quam b. VATERVS noster, in prolusione, disputationi meae de coma calamistrata praemissa, Plicae nomine Polonicae plenius descripta, et cuius memoriam b. EILENBVRGIVS in sua splendida descriptione Musei Regii Dresdensis, his verbis p. 36. conseruare studuit: *Es findet sich hier noch etwas überaus seltsames, welches nicht unangemerkt bleiben darf. Ich meyne denjenigen Weichsel- oder Iudenzopf, von welchem in des Pater Rzaczynski seinem Auctuario naturalis regni Poloniae, p. 470. wie auch in Transactionib. Philosoph. Vol. XXXVII No 417. VII. et N. 426. III. und in Commercio Litterario Norimberga Annis 1733. et 1735. weitläufige, (von dem sel. Hr. D. Vater eingefendete,) Nachrichten stehen. Er ist vier Ellen lang, zween Zoll dicke, einer Mannshand breit, und durch einen ehemaligen Leibarzt des Durchl. Radzivilischen Häuses (den nachmaligen Königl. Pohn. Hofrath, Hr. D. Floercken,) von dem entseelten Körper eines 78jährigen Litthauischen Weibes abgenommen und dauerhaft gemacht worden.*

Sic huius nostrae prolusionis argumentum, de re, non omnibus admodum grata, delicatioribus praesertim, ocellis, non iucunda, pulchre tamen consentiet cum Disputationis argumento, a Viro iuuene Nobilissimo,

CHRIST. HENRICO GVSTAVO OBERKAMPFIO,

Dabrunensi-Saxone

Medicinae Candidato Dignissimo,

publice proponendae ac defendendae, qui vitae curriculum et studiorum rationes suis ipsius verbis sequentibus exponit:

Ego, CHRISTIANVS HENRICVS GVSTAVVS OBERKAMPF, mundum hunc adspexi anno huius seculi quinquagesimo secundo, patre IOHAN-

IOHANNE GUSTAVO, Dynasta Dabrunae; matre CHRISTIANA
 HENRIETTA, ex stirpe nobili a BARTHELEBEN. Vtriusque paren-
 tis praematuram adhuc lugeo mortem, imprimis patris, qui viduus diu
 iam saecus, dum in ingenio meo vterius excolendo versabatur, vitam
 cum morte commutauit. Quamquam autem ex priuata variorum pra-
 ceptorum institutione elementa, et religionis, et eruditionis, acceperam;
 tamen post patris obitum generofissimus ab HAVGWITZ, CVRIAEC
 PROVINCIALIS ASSESSOR, tutoris munere functus, in id allabo-
 rauit, ut in addiscendis elegantioribus litteris vterius pergerem, eam-
 que ob causam ad aliam me misit Portam. Cuius insignis viri meri-
 ta in me educando publice hic profiteor, laudo; et per omnem vitam eo-
 rum me grate recordaturum esse spondeo. Ultra quinquennium Por-
 tam inhabitaui ibidemque GRABNERVM, BECKERVM, BARTHIVM,
 FERBERVM, GEISLERVN, in litteris ad humanitatem pertinenti-
 bus habui praeceptores; Hübchio varias matheos partes explicanti,
 adfui; GRABNERO autem imprimis multum debo, cuius specialiori
 curae commendatus eram; omni enim studio in felicitate mea promo-
 uenda laborauit. Adii tandem hanc celeberrimam Musarum sedem, et
 a summe Reuerendo Wernsdorffio ciuibus Academiae adscriptus sum.
 Aliquod tempus disciplinis praeparandis impendendum esse putaui, ideo-
 que CEL. HILLERI philosophicas, EXCELL. TITIV physicas scholas
 frequentau. Singularis autem ad studium medicum amor mox me im-
 pulit, vt doctissimos huius artis Professores adirem. Percepi igitur a
 MAGNIE BOEHMERO Botanicam, vniuersam Anatomen, Physiolo-
 giam, atque Materiam medicam, eiusque exercitiis disputatoriis interfui,
 ex quibus multos me collegisse fructus laetor. MAGNIE LANGGV-
 THIVS Pathologiam, Therapiam, Praxin clinicam, Chirurgiam et
 artem parturientibus opem ferendi, fideliter me docuit, suaque insi-
 tutione ad scopum praefixum me duxit. Singulari quoque gauis
 sum felicitate, vt ILLVSTR. TRILLERV M. h. t. Rectorem Magnifi-
 cum, adire, et ex doctis eius colloquiis cognitionem meam amplificare
 potuerim, cum humaniter semper me exceptit, et non nisi doctorem di-
 misit.



misit. Nec omittendum KECKIVM esse, per biennium studiorum meorum comitem, sentio. Tandem GRATIOSISSIMVM MEDICORVM ORDINEM litteris exhibitis rogaui, velit me, in instituto prius tentamine, in Candidatorum numerum recipere, quod et feliciter factum esse laete recordor. Nunc in eo sum, ut summos in Arte Salutari honores aeadam, quod mihi concessum esse gratissima agnoço mente.

Huius itaque voti sui compotem reddet nobilissimum Candidatum Ordo noster, ubi, ultimo specimine cum laude edito, ambris modeste honoribus se dignum exhibuerit. Dictus est huic solemnitati mensis Aprilis Dies III. quo, me Praeside, Dissertationem Inauguralem, de *Valetudine sexus elegantioris a co-ma cothurnata*, exponentem, H. L. Q. C. respondens defensurus est. VOS, igitur, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PERIL-VLSTRES LIBERI BARONES, PATRES CONSCRIPTI, BONARVM LITTERARVM ET ORDINIS NOSTRI FAVTORES ET AMICI HONORATISSIMI, GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE CIVES AC COMMILITONES, qua decet, obseruantia et humanitate, rogamus, vt Panegyrin hanc praesentes frequentesque ornare et splendidiorem reddere haud grauemini. P. P. Wittenbergiae, Döminica Iudica, A. S. R. c:o CCLXXVI.

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACAD. A TYPIS.

Ye 3447




3

5b.

VDA7

03, 2001 Bd.






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-251323-p0012-7

DFG

Farbkarte #13



B.I.G.

Black

7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

8
7
6
5
4
3
2
1
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

FACVLTATIS MEDICAE

I N

ACADEMIA WITTENBERGENSI

H. T. DECANVS

GEORGIVS AVGVSTVS
LANGGVTH D

PATHOLOG. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORDIN
ET ORDIN. S. SENIOR

PANEGYRIN MEDICAM

AD DIEM III APRILIS CICICCLXXVI

H A B E N D A M

I N D I C I T

DE PLICA XIV PEDVM RARISSIMA MVSEO ACAD
N V P E R I L L A T A

QVAEDAM PRAEFATUS

36

W.4

37